

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens Libros III. de Officijs, Dialogus de Senectute, de Amicitia,
Paradoxa, Somnium Scipionis, ex VI. lib. de Rep.

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

Nobilissimo Ivveni Iacobo Critonio Scoto

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770616](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770616)



NOBILISSIMO . IUVENI

IACOBO . CRITONIO SCOTO



Vm nihil in te sit summissum, & popolare, (mi Iacobe Critoni) quin omnia tam ampla, excelsa, atq. admiranda, ut elapsi temporis uiris illustribus, ac sapientissimis gloriam, futuris uero etiam spem tua amplitudo auferat, nostro autem saeculo singulare afferat ornamentum: cumq. non minus opiniones tibi, quam uita sint admirabiles: sententias illas, quae Paradoxa uocantur, quae non sane probantur in uulgus philosophorum, in Stoicorum scholis natas, nudas admodum, & squalidas, nunc uero M. Tullii Ciceronis eloquentia exornatas, & auctoritate, meis Commentariis illustratas nomini tuo dicare uolui: cui ista maxime conueniunt, non tantum, ut amoris erga te mei indicium praebeam, qui nisi iam antea tibi ex tantis constitit argumentis, numquam ex ullo patebit officio, quam ut animi grati pro Carminibus, quae in tuo ad urbem Venetam appulsu mihi dedisti. Nunc uero etiam laetor, toti Italiae, & Orbi fortasse terrarum uniuerso perspectum esse iudicium de te meum, & ea, quae, cum huc uenisses, scriptis commendauit. quae tibi ipsi, ac nonnullis acerrimis censoribus, aspera, atq. iniucunda uidebantur. nam, licet tum amorem malui ostendere, quam prudentiam, nunc ambo cum amicis tuis, tum inimicis, si qui amplius tam feri, atq. inhumani reperiuntur, manifesta sunt, postquam tua uirtus tam clarum sui splendorem diffudit. ego enim iunctam inuidiae, ac multorum inimicitias eximiam quandam, atque immortalem gloriam sum consecutus. nam, quid illustrius, quid honestius, quid uero etiam gloriosius ad nomen meum accedere potuit, quam ut a me prolata *παροξέτατα* primum, tum *ἐγκωμιαστικά* uiderentur, nunc uero *ἰσοκράτα* ab omnibus habeantur. cum multi homines sui iudicii leuitatem, infirmitatemque, cum essent stultitia obcaecati, mei uero constantiam, ueritatemq. perspiciant. poteram enim (*ἔσπεται γὼν μοι μούσαι*) Illustris. Critoniam, & Serenissimam Stuardam, quibus oriundus es, familias extollere. Sed, quid Reges tui maiores, (licet ea laus Scotorum Regibus merito tribui possit, quod inter omnes Europae Reges uetustissimi Christiani sint) quos numquam Romani imperio suo subegere; cum Caesar, propter tumultus excitatos, & res in Gallia fluctuantes, exercitum a Regni expugnatione reuocaret: Quid, inquam, isti, tuis uirtutibus, animiq. dotibus amplius solidae laudis afferunt? Quid Critonii, qui cum Scotorum militiae Imperatores summi plerumque essent, Anglos e Galliae Regno, & Scotiae finibus toties, ac tanta uirtute eiecerunt? Quid Robertus Critonius, pater tuus, Fifensis in Scotia, & Stormondiensis, Elioki, & Clunaei, tot opidorum, tot praesidiorum dominus, qui longo tempore inter omnes Regni proceres aerumnosissimae simul, & beatissimae Reginae, quae apud Anglos (pro dolor) iam captiua est, & Christianae religionis acerrimus existit propugnator, praesertim qui copias ad proelium, quod Langsydium uocant, duxisset; quid ille tibi splendoris ueri affert? Non tantum illi fortasse debes, quod te genuerit, quod maximos huius tempestatis uiros, Buchananum, Heppurnium, Robertsonium, & Rhetorfortem praecceptores tibi dederit, quod tam amplas pecunias fortunaq. in te erudiendo insumperit, & omnes uires animi, atque ingenii in educando profuderit, quantum quod ob intestinas seditiones, & proelia domestica, contra te suscitata, quae cum patre gessisti, Regno discedere, & Regem relinquere, coegit. Sed laudem, quae a maioribus ad nos deriuatur,

Gg † ne

ne laudem quidem esse, sapientissimus ille uir Vlixes existimauit. Neque te uero multum commendo. quod specie, & corporis uiribus polleas. fateor tamen aliquid esse in his, quod non tam a fortuna, quantum ab animo pendet; immortalitatis memoria prosequendum: quod scilicet Regno, patria, domoq. ob Catholicae fidei ardorem tam longe abes, nec ullum ex his aerumnis dolorem, sed incredibilem animo sentias uoluptatem: neque Regis in consobrinum tuum Iacobum Stuardum clementia, cui cum Morauiae Principatu suam consobrinam uxorem dedit: neque communis cum Rege educatio permouent, immo ne mouent quidem. putas enim, maiores quasdam opes, & firmiora, quam quae amisisti, praesidia esse quaerenda. In corporis uero bonis id habes, quod effigies oris, atque sermonis animi nobilissimi filia sit. Sed belli studia in ipsis ephebis inire, eadem animo, atque amore prosequi, & cum litteris, & Philosophia, tamquam alter Brutus, coniungere, nemini unquam ab initio humani generis obtigit. Magna sunt ista profecto, & inaudita: mediocria tamen, si cetera spectemus. quod scilicet decem linguarum, multorum idiomatum, omnium disciplinarum cognitionem ante uigintiimum primum aetatis annum sis adeptus. & digladiandi, saltandi, omnium gymnasticarum exercitationum, & equitandi studia tanta cum alacritate ingenii, animiq. humanitate, mansuetudine, & facilitate coniunxeris, ut nihil te admirabilius, nihil etiam amabilius reperiri possit. Sed non innumerabiles uitae tuae transactae laudes; non mirificam illam coram Serenissimo Principe, ac Illustrissimis Venetae Reip. proceribus actionem; non subtilissimas tuas de Theologia, Philosophia, & rebus Mathematicis disputationes in plerisque maximorum hominum confensibus recensebo; non tantorum hominum ad te videndum concursum, ut olim Platoni a Sicilia reuertenti, relicto Olympico spectaculo, tota Atheniensium celebritas occurrisse fertur; cum te omnes signo rubeae Rosae, quod tibi natura circa dextrum lumen impressit, tamquam unicam, & raram in terris auem homines cognoscerent. Quae enim gentes tam ferae sunt, quae, te cum adspexerint, non maximum cepisse fructum putent? Sed, his praetermissis, nunc propria narrabo: quae scilicet in Patauina Academia fecisti, tum quae in hac Vrbe, rotius Orbis nobilissima; cuius amplitudinem, & augustissimam maiestatem inter omnes alias ciuitates te accipere, fouere, atque amplecti decuit; te uero etiam, humani generis miraculum, admirandam Urbem incolere, amare, & omnibus aliis antepone. Nam, postquam aduersa ualitudine iam quattuor menses laborasses, priusquam in integrum pristinae sanitatis statum redires, amicorum consilio ad Patauinam Academiam, tamquam ad Sapientiae Officinam, profectus es, ubi Idibus Martii in diem sequentem, suscepto consilio omnes omnium disciplinarum professores in aedibus Clarissimi uiri Iacobi Aloisii Cornelii, eius auctoritate, & precibus, ut conuocarentur, petiisti. cum autem maximus doctissimorum hominum coetus, & omnes ex insperato paene studiosi, & nobiles Gymnasia iuuenes una conuenissent, statim in primi ingressus uestibulo elegantissimo carmine Patauinas laudes (nam ea tibi proposita erat ad dicendum materia) ex tempore decantasti: deinde cum celeberrimis illis doctoribus multa ex uariis disciplinis tam acute exagitasti, tam docte pertractasti, erroresq. Aristorelis, ac interpretum tam solide refutasti, tanta denique cum maximis uiris modestia egisti, ut omnes in uirtutis admirationem, & morum suauitatis amorem simul allexeris. Neque id silentio praeter eundem est, quod ex tempore etiam, post sex horarum de re litteraria colloquia, & disputationes, cum oblata tibi esset Ignoracionem laudandi occasio, tam ornate de ea re dixisti, ut illi ipsi, qui intererant, potius somnia fouere, quam rem ueram, & praesentem uidere se putasse mihi postea affirmarint. Alium postea diem indixisti in aedibus Illustrissimi Patauini Episcopi, non ut altius ingenii tui specimē praeberes, quod profecto frustra fecisses, sed ut eorum, qui primis disputationibus non interfuerant, obnixit precibus satisfaceres. uariae res huic proposito obstaculo fuere. ad secundum certamen uentum non est. sed plerique cum primis Europae uiris sermones habiti sunt. nonnumquam hominum expectationes, licet propter facta tam illustria de te maximas, plerumq. etiam & te ipsum superasse dictus es. ex quibus actis cum illico surrexisset magna fama, obrectatores aliqui, quibus ex aliorum bene gestis, & rebus secundis inuidencia esse solet, homuli, nescio quid dicam, tuae uirtuti aliquid derogare frustra tentauerunt. ostendentes in obscuro odio apertas inimicitias, & in quo nihil nocere poterant,

rant, summam uoluntatem nocendi. Tum tu, ut istas obtreccationes maleuolentissimas pufillorum, maleuolorumq. prosterneres, atque obtereres, duo haec Theoremata in hac Vrbe edidisti;

Ut ijs, qui (Virtute, Veraq. animi nobilitate alijs praeuocantes) bene de Virtutis Amatoribus sentire consueuerunt, gratias agat immortales, IACOBVS. CRITONVS. SCOTVS, profligatisque & perditis hominibus omnem in posterum iactandi occasionem auferat: errores Aristotelis paene innumerabiles, & omnium Latinorum Philosophorum, siue cum de ipsius mente disputant, siue cum res Theologicas attingunt, & nonnullorum quoque Matheos professorum somnia refutabit, & ad obiecta respondebit.

Liberam ad haec in omnibus disciplinis, siue illae publice doceri soleant, siue sapientissimis tantum hominibus peruiuae sint, arguendi occasionem dat. responsurus, siue Logicis, & consuetis responsionibus, siue per Secretam Numerorum rationem, aut figuras Mathematicas, siue per aliquod ex centum carminum generibus: ex proponentium arbitrio.

In DD. Ioannis, & Paulli aede sacra, in ipso Sanctissimo Pentecostes die, post Meridiem,

EXORDIUM . SVMET

& per triduum indefessus sustinuisti; & quamdiu tua auctoritas tibi defendenda fuit, sic acriter, & uehementer proeliatus es, ut clamor, concursusq. insolitus ad studia tua lenienda tanta cum laude fieret, ut nihil umquam magnificentius ab hominibus auditum sit. Tu uero me non solum auctorem consiliorum, sed spectatorem pugnarum mirificarum habuisti. Nunc, quoniam laudis semper auidissimus fui, & praeter ceteros φιλοκρίτιος ab omnibus habeor, multorumq. odia pro tua causa suscepi, cura obsecro, & effice, ut facis, ut, quia ueram uirtutem cognoui, ab omnibus amari, & laudari possim, & ut maior in ea mihi in dies spes resideat. Meas igitur in Ciceronis Paradoxa lucubrationes, hoc ipso, quia in Paradoxa sunt, sub tuo nomine prodire uolui, quod ueteribus gratiam, nouis fauorem conciliare solet. Tu autem has nostras uigilias, & Stoicorum opiniones simul (quoad ueritas patitur) tuebere. id enim tibi admodum erit facile. iam enim paene omnes homines aut gratiam, aut eloquentiam, aut tantarum rerum, ne dicam omnium, scientiam suspiciunt. Viue nostri memor, & uale.

Venetis, XIV. Kal. Iun. ∞ D XXCI.



M · TVLLII · CICERONIS PARADOXA

SEX
AD · M · BRVTVM



CICERO



NIMADVERTI, Brute, saepe Catonem, auunculum tuum, cum in senatu sententiã diceret, locos graues ex philosophia tractare, abhorrentes ab hoc usu forensi, & publico; sed dicendo consequi tamen, ut illa etiam populo probabilia uiderentur. quod cotinuis est illi, quam aut tibi, aut nobis; quia nos ea philosophia plus utimur, quae peperit dicendi copiam, & in qua dicuntur ea, quae non multum discrepant ab opinione populari; Cato autem, perfectus, mea sententia, Stoicus, & ea sentit, quae non sane probantur in uulgo; et in ea haeresi est, quae nullum sequitur florem orationis, neque dilatat argumentum, sed minutis interrogatiunculis, quasi punctis, quod proposuit, efficit. sed nihil est tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile; nihil tam horridum, tam incultum, quod non splendet oratione, & tamquam excolatur. quod cum ita putarem, feci etiam audacius, quam ille ipse, de quo loquor. Cato enim dumtaxat

de magnitudine animi, de continentia, de morte, de omni laude uirtutis, de dijs immortalibus, de caritate patriae Stoice solet, oratoris ornamentis adhibitis, dicere. ego uero tibi illa ipsa, quae nix in gymnasijs, & in otio Stoici probant, ludens conieci in communes locos. quae quia sunt admirabilia, contraq. opinionem omnium, ab ipsis etiam Παράδοξα appellantur: tentare uolui, possent ne proferri in lucem, id est in forum, & ita dici, ut probarentur; an alia quaedam esset erudita, alia popularis oratio. eoque scripsi libentius, quod mihi ista Παράδοξα quae appellantur, maxime uidentur esse Socratica, longeq. uerissima. Accipies igitur hoc paruum opusculum, lucubratum his iam contractioribus nobilibus: quoniam illud maiorum uigiliarum munus in tuo nomine apparuit. & degustabis genus hoc exercitationum mearum, quibus uti consueui, cum ea, quae dicuntur in scholis βεβηκα, ad nostrum hoc oratorium transfero dicendi genus. hoc tamen opus in aperium ut referas, nihil postulo. non enim est tale, ut in arce poni possit, quasi illa Minerva Phidiae: tale tamen est, ut ex eadem officina exisse uideatur.

ARGUMENTVM



VETERVM Stoicorum sapientia in eo posita erat, (ut Plutarchus in libello aduersus Stoicos testatur) ut nouum aliquid, inauditum, & admirabile in uulgo proferrent, quod ipsi tamquam peculiare sibi uindicabant. Quorum princeps fuit Xenocrates. Sed istorum opinio de anima admodum stultis fuit. nam eam omnes ante Socratem, cum circulos aliquos confecisset, deficere, ac ueluti conteri affirmabant. Sic idem Xenocrates, & Zeno, illius sectae principes primum elementa, & id quod est secundum naturam, putabant esse summum bonum: Deum dicebant esse mentem corpus habentem, cui insit tamquam materiei admistus. diuersam tamen, licet non multo, Socrates, recentiorum Academicorum facile primus, ab hac phi-

Gg Iosophandi